

XXXIII DE SEQVESTRAT. DEFINIT. §. VI. VII.

mus, vt proprium inde conficiatur. In quo tamen genere, quia habet hoc ipsum interdum aliquantum difficultatis, videntur mihi multi, et plerique eorum adeo, qui vehementer de iurisprudentia in formam artis redigenda laborarunt, paullo negligentiores esse. Quod vt vitium vitem, prium considerabo hoc, quod dixi in omni sequestratione fieri, scilicet vt quid collocetur in tuto. In quo quum quaeri possit, quomodo id fieri queat? id primum determinabo et definiam. In quem locum incidit haec quaestio: quid sit id, quod collocetur sequestrando in tuto? Dein, quum dixi, sequestrationem esse actum, quo ad auertendum damni periculum quid fiat, alterum ex eo oritur, quod quaeri possit: quis illum actum suscipiat? quare de hac re secundo loco erit differendum. Quibus tum adiungemus tertium locum, quem postea declarabimus.

§. VII.

DIVISIO SEQVESTRATIONIS RATIONE MODI, QVO PERFICITVR.

PRIMVM igitur videamus, quid sit id, quod sequestretur? ex quo id ipsum clarius adparebit, quod maxime hic queritur: quibus modis fieri possit sequestratio? Potest autem, quod sequestratur, vel liber homo, vel res esse. Omnino enim et liber homo sequestrari potest^{a)}). Res vero et mobiles et immobiles esse pos-
funt,

a) Vid. HENR. COCCEII dissert. quam aliquoties nominauimus, CLVDIVS,
vbi saepius Cap. 5. ibique cas. 6. vs-
que 10. vbi inter alia cas. 8. n. 49.

mentionem fecit sententiae huius-
modi a Consistorio Rostochiensi pu-
blicatae, de qua causa vide ERN.
COTTMANN Vol. I. Resp. I. per tot.
ibique